



2b. 15



**COLLEGI
RECORDANTIUM**

IN DUCALI BREGANO

LEGES,

SUBRECTORATU

M. MELCH. LAUBANI

noviter recensitæ & publicatæ

A. C. clc lccxxv,

Mense Sextili.

IX



Ecclesiaste II. 6.

MANE SERE SEMEN TUUM, ET NE VESPERE
QUIDEM REMITTITO MANUM TUAM.
NAM IGNORAS, HOCNE AN ILLUD BONO TI-
BI FUTURUM, AN VERO AMBO HÆC EX ÆQUO
TIBI PROFUTURA SINT.

N.

N. B.

B.

PRECARIO COLLIGERE QUOD TEMERE
PRODIGAS, STULTISSIMÆ NEQUITIÆ FA-
CINUS EST.

CAPUT

CAPUT PRIMUM

De Receptione & Discriminatione
RECORDANTIUM.

I.

RECORDANTIUM Collegio nemo ad-
scribitor: nisi quem **RECTOR** propterea
obnixè sollicitatus dignum, & huius beneficii
indigentem iudicaverit.

II.

Hinc talis aliquis a **RECTORE** *Inspectori* Recor-
dantium, qui pro tempore *Cantor Parochialis*
est, nominatim commendator, ad specimen de se
edendum progressuum in Musicis.

III.

In *Inspectoris* postea fuerit, & certum ipsi *Chorum*,
cui ministrare debeat, & certam quoque *Tribum*,
cumque *Tribu* certam *COLLECTÆ Quotam*, pro
ratione peritiæ *Musicæ*, iudicio tamen **RECTORIS**
simul heic prærequisito, adsignare.

IV.

Numquam ullus *Novitius* statim ad *Primam Se-*
cundamve Tribum admittitor: sed semper *In-*

Infima Tribui ab initio inferior, dum sc. periculum
Scholæ præbeat suæ sive in Musicis aliisque studiis
industriæ, sive etiam modestiæ.

V

V.

Si tamen peritia Musicæ in aliquo forte excellen-
tior fuerit; vel aliæ circumstantiæ id persuaserint:
Tribui penultima talis aliquis adscribitur,

IV

VI.

In discessu Superiorum ex *inferioribus Tribubus*
ii soli, qui præ ceteris digni videbuntur, *loca disce-*
dentium altiora occupare jubentur.

III

VII.

Sic & alias pro re natâ ad *Tribus altiores* solis in-
dustriis & modestis ingeniis ascensiones permit-
tuntur, nunquam futilibus, ignavis & immorigeris.
Immo degeneres eiusmodi fuci, si in *Supremas* for-
te *Tribus* irreperint; ad *infimam* usque, donec
melius rem gerere cæperint, deturbantur.

XII

IIX.

Recordantibus *Primæ Tribûs* leguntur de judi-
cio *Rectoris & Cantorum* duo minimùm RE-
GENTES Musici, quorum administratio perpetua
esto.

XI

IX.

IX.

Sed ex omni *Recordantium* cœtu secundum ordinem sciscuntor bini hebdomadatim CUSTODES, qui quotidie *Inspectori* rationem reddere tenentor sive de absentia huius illiusve Recordantis a lectionibus publicis, a Liturgiis Ecclesiasticis, ab exercitiis Musicis, sive de moribus eorundem quibuscumque.

X.

Numerus *Recordantium* etsi præcisè status fixus, que esse nequeat: ultra tamen *quadragenos* non facile excrecito.

CAPUT SECUNDUM.

De Speciali Recordantium Officio.

I.

AD Ecclesiasticas *Leiturgias* cum ipso signo tēpestivè omnes advolanto: *Symphoniæ* seriò operantor: concionibus modestè devotèque auscultantor. *Cantori* suam obedientiam observantiamque, prout fas est, in omnibus probantor.

II

Sacra matutina *Templi Cathedralis* singulis *Dominicis* quaterni, è *primanis Secundanisve* Recordan-

A 3

dan-

dantibus, quos ordo tetigerit, legitimè procuran-
to. Sic & Vespertina Sacra eiusdem Templi *Profe-*
stis diebus post Scholam dimissam, *quaterni* sem-
per *Primani*, totidemque *Inferiorum Ordinum*
Recordantes devotè frequentanto.

III.

Sacra Cantica, Hymnos, Motetas dulciores, qui-
bus Scholas apud nos pnblicas quotidie incoari
obsignarique mos jubet, *Regentium* prudens sol-
lersque industria sic moderator: ut vel prætereun-
tium aures animiq; Scholasticis modulis deliniti
Mellificio huic nostro magis semper magisque cu-
pere sive perseverèt; sive etiam, quod fatalis nostri
xvi a p r o t a optare cogit, adsuescant.

IV.

Suos quisque *Chorus* Libros Musicos (PARTES VO-
camus) summâ relligione custodito: nemo eos
permaculato: nemo discerpito, nemo aliquid ho-
rum deperdito. Ne tale quid fiat umquam, cuius-
que *Regentis* sollicitudo adsidua provideto.

V.

Idem curato, ut conjunctis suorum *Choralium*
operis, *nova Moteta* præstabiliior, de iudicio sc.
indicioque *Inspectoris*, unâquâque heldomadâ
Parti.

Partibus suis inscribatur, idque manu non turpicu-
lâ, sed tersiore. Qui venustius scribunt aliorum
κακογραφήτων inofficiosas vires æquo precio condu-
cti heic explento.

VI.

Horas Exercitiorum Musicorum tam *ordinarias*,
quàm *extraordinarias* dierum *Mercurii & Sa-*
turni frequentes obeunto: sine justâ caussâ veniâ-
que nemo emaneto: omnes in ipso horæ ineuntis
puncto statim adsunto: omnes solis *Musicæ ἔργοις*,
non confabulationum, non rixarum, non aliarum
nugarum *παρέργοις* vacanto: omnes finita horâ, ad su-
um *ἀκροατήριον*, aut si Scholæ nullæ publicæ amplius
habeantur, ad suum hospitium modestè tranquillè-
que sese recipiunto.

VII.

Regenti *Musico*, sive *Chorâgo* suo non tantum in
Scholâ horis extraordinariis, sed etiam extra
Scholam in stato illo *Recordationis officio* quilibet
sponte decenterquè sese attemperato, ut omnia or-
dine & compositè in oculis præsertim civitatis ex-
pediri possint.

IIIX.

Adescivium bini debitâ modestiâ adeunto: in
iis ne confidento: ne tumultuantor: ne perstre-
punto:

punto: ne sese subducunt ante cursum integrè absolute: nullis in ædibus diutius iusto immorantur: nullas ædes adiri solitas præterfiliunt: cursum sibi destinatum singulis *Dominicis* ad debitam metam perducunt: denique ita rem in omnibus gerunt: ut probitatis, continentiae, humilitatis & verecundiae laudem tueantur; bonorumque favore ac liberalitate dignos sese publicè ostendant.

IX.

Pecuniam ita corrogatam, computationum luxuriã, amationum lasciviã, vestium insolentiã, aut aleæ etiam dementiã nefariè sacrilegèque ne prodigunt: sed in libros, calceos, vestes, chartam, & id genus necessariam suppellectilem piè providè que erogant. Qui secus faxint: aut degradatione ad *Tribun infimam*, aut etiam omnimodã huius beneficii privatione mulctantur.

X.

Nullas noctu discursationes, nulla conventicula Musicae prætextu privatim sive noctu sive interdium agunt: Convivia *Adventoria*, *Viatica*, *Natalitia*, *Onomastica* simpliciter prohibita abrogataque sunt.

XI.

Nuptiis conviviisque civitatis nemo, licet invitatus,

communicare audeto; nisi speciali prius indulgentiâ RECTORIS exorata.

XII.

HÆ LEGES menstruatim die Diribitorio omnibus Recordantibus in unum convocatis, præfente Cantore utroque, & ipsomet etiam, quoties res flagitat, RECTORE, sollemni prælectione repetuntur; ubi simul & studia moresque singulorum accuratius excutientur: & Regentes Partes quisque suas producere, easque inspectioni publicæ subijcere tenebuntur.

CAPUT TERTIUM

De Diribitione COLLECTÆ

Menstruâ.

I.

DIRIBITIO Collectarum pecuniarum, quia menstrua est, instituenda scilicet postridie Quarta cuiusque Dominica: ideo abrogatæ deinceps sunt omnes anticipationes, nisi talis aliquem Recordantium urgeat necessitas, quæ ipsi RECTORI, ad quem omnino super his talibus referendum prius erit, inevitabilis videatur.

II.

Tribus Recordantium pro tempore sunt quatuor
B in

in quas proportione Geometricâ, non Arithmeti-
câ faciendâ est Diribitio. *Prima Tribus* de Colle-
ctâ toties capit 6 grossos: quoties *secunda* 4: *ter-*
tia 3: *quarta* 2 accipit. Sicut igitur *Prime Porti-*
onis ratio ad *Secundam* est simplex sesquialtera, ad
Tertiam vero dupla: ita *Secunde Portionis* ad
Tertiam ratio simplex est sesquitertia: ad *Quar-*
tam vero itidem dupla.

III.

Prima Tribus continet jam 6 Capita: *secunda* 11.
tertia 8: *quarta* tantum tria. Capita summatim
omnia sunt 28.

IV.

De totâ *Summâ Collecticiâ* integri Mensis ante
omnia defalcator, primò portiuncula certa pro
arbitrio *Dn. Cantorum* ad locupletandum *Fiscum*
Recordantiæ: deinde grossi XXX: octodecim nem-
pro tribus *Regentibus*: & duodecim pro bis qua-
ternis *Custodibus* *Menstruis*.

V.

Residuum *Summæ* pro *Quatuor* præsentis *Re-*
cordantiæ Tribubus in quatuor discerpitor POR-
TIONES, eo quo dictum est, modo proportionales;
quod facile factu est beneficio *Regule Societatis*,
de

de quâ lib. 2. c. 15. *Arithmetica Practica.*

VI.

Medium *Regula Aurea* locum semper tenebit ipsa *Summa pecunie dividenda*, in numos resoluta.

VII.

Pro inveniendoprimo *Regula termino* sic procede. Duc Capita *Primæ Tribus* in 6: *secundæ* in 4: *tertiæ* in 3: *quartæ* in 2. Summa horum quatuor *Factorum* semper & ubique dabit *primum Regula terminum*.

IIIX.

Tertius *Terminus Regula Aurea* quater variat pro quaternâ operatione. Nam in calculo *primæ Portionis* est *Factus* nunc quidem e 6 Capitibus *primæ Tribus* per 6, nempe 36. In calculo *Secundæ Portionis* tertius terminus est *Factus* ex 11 Capitibus *Secundæ Tribus* per 4, nempe 44. In calculo *Tertiæ Portionis* est *Factus* ex 8 Capitibus *Tertiæ Tribus* per 3, nempe 24. In calculo *Quartæ Portionis* est *Factus* e 3 Capitibus *Quartæ Tribus* per 2, videlicet 6.

IX.

Regula Aurea quater adhibita ostendet ordine
B 2 POR

PORTIONES singularum *Tribuum*, debito modo proportionales, in numis. Hæ *Portiones* invicem additæ, si recta fuit supputatio, datam pecuniæ dividendæ Summam semper præcisè representabunt.

X.

Tandem divisâ unâquâque PORTIONE per numerum Caputum suæ Tribûs: Quotus patefaciet cuiuscumque Recordantis PARTICULAM SINGULARIAM itidem in numis; quos facile pro renatâ, in grossos, aut in ipsum etiâ *thallerû* coagmentaveris.

XI.

Ad Calculum hunc tanto felicius expediendum, ordinantur mensuatim duo semper *Diribitores*, e primâ & secundâ Recordantium Tribu. Hi post *Quartam Dominicam* in præsentia Dn. *Cantorum* collectam proximi mensis pecuniam numerant: ad justam Summam revocant: denique in quatuor *Portiones* analogas, & Portionem unamquamque in *Particulas Singularias* decenter diribunt, singulis mox Recordantibus ab *Inspectore* representandas.

XII.

Diribitorum itidem fuerit, sui Mensis *Collectam*, uti & omnem Diribitionis factæ rationem in *Tabulas Recordantiæ publicas* accuratissimâ diligentia referre.

DISTRIBITIONIS EXEMPLVM.

NUPER ad **IXXIII** Julii Sylloge Menstrua decenter distri-
buenda fuit, 23 ℥. 14 gr. 3 ℥.

Hinc initio detracta sunt, pro

- 1 Fisco Recordantie 36 gr.
- 2 Regentibus & Custodibus 30 gr.

Residua Summa 21 ℥. 20 gr. 3 ℥.

De hac Summâ accipiunt.

Primani	6	6	36.
Secundani	11	4	44.
Tertiani	8	3	24.
Quartani	3	2	6.

Summa quatuor Factorum

Summa Collecta, in numeros resoluta 9375 ℥.

Calculus Primæ Portionis

$$\begin{array}{r} 5 \overline{) 9375} \\ \underline{9000} \\ 375 \end{array}$$

$$\begin{array}{r} 2 \overline{) 375} \\ \underline{180} \\ 195 \\ \underline{186} \\ 9 \end{array}$$

$$\begin{array}{r} \overline{) 195} \\ \underline{186} \\ 9 \end{array}$$

Calculus Secundæ Portionis

$$\begin{array}{r} 5 \overline{) 9375} \\ \underline{9000} \\ 375 \end{array}$$

$$\begin{array}{r} 22 \overline{) 375} \\ \underline{220} \\ 155 \\ \underline{154} \\ 1 \end{array}$$

$$\begin{array}{r} \overline{) 155} \\ \underline{154} \\ 1 \end{array}$$

Calculus Tertie Portionis.

$$\begin{array}{r} 5 \overline{) 9375} \\ \underline{9000} \\ 375 \end{array}$$

$$\begin{array}{r} 2 \overline{) 375} \\ \underline{180} \\ 195 \\ \underline{186} \\ 9 \end{array}$$

$$\begin{array}{r} \overline{) 195} \\ \underline{186} \\ 9 \end{array}$$

Calculus Quartæ Portionis.

$$\begin{array}{r} 5 \mid 9315 \\ \hline 2 \mid 22 \end{array} \quad \begin{array}{r} 9315 \\ \hline 1863 \end{array} \quad \begin{array}{r} 6 \\ \hline 6 \end{array}$$

$$\begin{array}{r} \mid 11 \\ \hline \mid 11 \end{array} \quad \begin{array}{r} 1863 \\ \hline 1863 \end{array} \quad \begin{array}{r} 3 \\ \hline 3 \end{array} \quad \begin{array}{r} 508 \\ \hline 508 \end{array} \quad \begin{array}{r} \frac{1}{11} \\ \hline \frac{1}{11} \end{array} \text{ ℥.}$$

PORTIO	{	Primanorum	—————	3048	$\frac{6}{11}$
		Secundanorum	—————	3726	
		Tertianorum	—————	2032	$\frac{4}{11}$
		Quartanorum	—————	508	$\frac{1}{11}$

Redit Summa data, E. rectè. 9315 ℥.

PORTIO I 3048 $\frac{6}{11}$ ℥ divisa per 6 dat Particulam Singu-
lariam Primanorum 508 $\frac{1}{11}$ ℥ id est, 1 ℥ 6 gr. 4 $\frac{1}{11}$ ℥.

PORTIO II 3726 ℥ divisa per 11 dat Particulam Singu-
lariam Secundanorum 338 $\frac{8}{11}$ ℥ id est, 28 gr. 2 $\frac{8}{11}$ ℥.

PORTIO III 2032 $\frac{4}{11}$ ℥ divisa per 8 dat Particulam Singu-
lariam Tertianorum 254 $\frac{1}{22}$ ℥ id est, 21 gr. ~~21~~ $\frac{1}{22}$ ℥

PORTIO IV 508 $\frac{1}{11}$ ℥ divisa per 3 dat Particulam Sin-
gulariam Quartanorum 169 $\frac{4}{11}$ ℥ id est, 14 gr. 1 $\frac{4}{11}$ ℥.

CAPUT QUARTUM.

i De Mulctis RECORDANTIUM

I.

SIN

SINGULARIS Recordantium *Pœna*, præter alias in
Legibus SCHOLÆ publicis definitas, totique Scho-
lasticorū Cætui communes, vertitur in *Mulctis pecuniariis*.

II.

Et illa quidem pro modo delicti *Simpla* esto, vel *Dupla*.

III.

SIMPLA est defalcatio unius grossi in Recordantibus
Quartanis: unius argentei in *Tertianis*: duorum grosso-
rum in *Secundanis*: trium in *Primanis*.

IV.

DUPLA *Mulcta* est defalcatio duorum grossorum in
Quartanis: trium in *Tertianis*: quatuor in *Secundanis*:
sex in *Primanis*.

V.

Totalis emansio sive a Scholis publicis ante aut post me-
ritum, sive a Liturgiâ Ecclesiasticâ quâcumque, sive
a Circuitione Civicâ, si citra justam causam veniamque
facta sit, *Simplis Mulctâ* castigatur.

VI.

Similiter qui vel ad Liturgias Ecclesiasticas, vel ad Exer-
citia Musica, præsertim extraordinaria tardiusculè &
post horam jam auditam accesserint: qui inter canendum
officio suo non prævorterint: qui erga *Cantores*, aut etiam
Regentes aliter, quàm decet, se gesserint: qui Legem in-
primis ^{Octavam} ~~Quintam~~ *Capitis II*, quæ de *Recordantium Circuitione*
agit, quocumque modo violaverint, *simplicem mulctam*
sentiunt.

VII.

Sed emansio a binis illis Exercitiis Musicis extraordina-
riis *pœnâ duplâ* plectitur.

IIIX.

Regens

Regens officium suum pullo pacto sive in Scholâ, sive
Templo, sive Circuitione negligens, *duplam* semper
multam sustineto.

IX.

In *Diribitione Collectæ* Menstruâ tot vicibus *Mulcta* semper
iterator: quot vicibus hic aut ille contra leges per Men-
sem exactum deliquisse deprehensus fuerit.

X.

Immo si delictum forte anormius occurrat: nihil magis
consultum fuerit: quam *dimidiam* vel *totam* etiam Men-
sis *portionem* de sententia RECTORIS & Præceptorum pe-
tulantiorei cuiusmodi Alumno defalcari.


XI.

Pecunia ex *Multis* eiusmodi collecta in *Fiscum Recordan-*
tiæ reponitor, impendenda more hætenus usitato, sive
in *Partes Musicas*: sive in *pauperum advenarum*, nulla-
dum *hospitia pedagogica* habentium *alimoniam*, in-
que eorumdem non raro ægrotantium *medica-*
menta, immo & quandoque morientium
honestas funerationes.

FINIS.

XII.

in: omnia sibi debita modestis aduentu; in
neque confidente; ne tumultu; ne perire
pente;





Ja 666



ULB Halle 3
002 177 021



A white rectangular library label with a barcode and identification numbers.

5b-700

Von 7

MC





